Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De septuagesima

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

civitas persarum misit demonem in occidentem ut inde reportaret responsum. Cum autem demon ad quendam locum venisset per x dies immobilis ibidem stetit eo quod quidam monachus ibi nocte ac die orabat. Et sic sine effectu regresso dixit iulianus: Cur tamdiu tardasti? Et ille: Sustinui per x dies monachum publium si forte ab oratione cessaret et transire possem, sed quia non cessavit prohibitus sum transire et redii nichil agens. Tunc indignatus iulianus dixit quod cum veniret vindictam de illo monacho faceret. Cum igitur de persis victoriam sibi demones promitterent, sophista suus dixit cuidam christiano: Quid putas nunc facit fabri filius? Et ille: Sepulchrum parat iuliano. Cum igitur ut in historia legitur sancti basilii et phulberti carnotensis episcopi, cesaream capadocie advenisset, sanctus basilius eidem occurrit et panes ordeaceos eidem pro munere misit. At iulianus eos recipere contempsit et pro panibus fenum sibi misit dicens: Pabulum irrationabilium animalium nobis obtulisti, recipe quod misisti. Cui basilius: Nos quidem quod comedimus tibi misimus, tu vero dedisti nobis unde bestias tuas nutris. Ad hec iulianus iratus respondit: Cum persas subegero hanc urbem destruam et arabo ut frugifera magis quam hominifera nominetur. Sequenti igitur nocte vidit basilius in ecclesia sancte marie visu multitudinem angelorum et in medio eorum quandam feminam in throno sedentem et astantibus dicentem: Vocate mihi cito mercurium qui iulianum apostatam occidat qui me et filium meum superbe blasphemat. Erat autem mercurius miles quidam qui ab ipso iuliano pro fide christi fuerat interfectus. Statimque beatus mercurius cum armis suis ab ea in prelium preparavit. Egressus basilius ad locum ubi sanctus mercurius cum armis suis quiescebat ivit et monumentum suum aperiens non corpus ibidem reperit nec arma invenit. Tunc custodem quare arma asportaverit inquisivit. Ille vero cum iuramento affirmat eadem vespere ibidem fuisse que semper servabantur. Inde igitur basilius recedens et mane illuc rediens invenit corpus eius et arma et lanceam sanguine cruentatam. Et ecce quidam de exercitu rediens dixit: Cum iulianus imperator in exercitu moraretur ecce quidam miles ignotus cum armis suis et lancea venit et calcaribus equum urgens audacter iulianum imperatorem invasit et lanceam fortiter vibrans ipsum medium perforavit et subito nusquam comparuit. Expirans iulianus de manu adhuc spiravit sanguine suo replevit et in aera sparsit dicens: Vicisti galilee, vicisti. Sicque in his vocibus miserabiliter exspiravit. Ab omnibus autem suis insepultus relinquitur et a persis excoriatur et de corio suo regi persarum substratorium efficitur.

Dicto de festivitatibus que occurrunt infra tempus quod partim continetur sub tempore reconciliationis partim sub tempore peregrinationis quod tempus representat ecclesia a nativitate usque ad lxx. Sequitur videre de festivitatibus que eveniunt infra tempus deviationis quod incipit ab adam usque ad moysen, quod tempus representat ecclesia a lxx usque ad pascha.

De septuagesima

Septuagesima signat tempus deviationis. Sexagesima tempus innovationis. Quinquagesima tempus remissionis. Quadragesima tempus penitentie spiritualis. Inchoatur autem lxx dominica qua cantatur Circumdederunt

De Septuagesima.

me et terminatur in sabbato post pascha. Institutio autem est LXX propter tres rationes sicut inveni in summa magistri Jo. beleth de officio. Prima ratio est propter redemptionem quam sancti patres statuerunt ut propter venerationem diei ascensionis in qua natura nostra celos ascendit et super choros angelorum sublimata est semper ipsa quinta dies sollempniter celebris haberetur et inter ieiunium non observaretur. Quia in primitiva ecclesia eque sollempnis erat sicut prima ebdomade vel etiam sollempnius processio fiebat ad representandum processionem discipulorum vel ipsorum angelorum. Inde vulgare proverbium verum est. Ut dies dominica dicitur cognata dies iovis quia antiquitus fuit eque sollempnis. Sed quia festa sanctorum supervenerunt et celebrate tot festa quot honorificum erat ideo sollempnitas ipsa cessavit. In redemptione igitur illorum dierum sancti patres unam septimanam XL addiderunt et LXX vocaverunt. Secunda ratio est propter significationem quia per hoc tempus significatur deviatio in seculum et tribulatio totius humani generis ab adam usque ad finem mundi quod quidam exilium sub revolutione VII dierum peragitur et sub VII milibus annorum includitur. Per LXX dies LXX centenarios annorum intelligimus. Ab initio autem mundi usque ad ascensionem VI milia computantur annorum. Extremum vero quicquid temporis sequitur usque ad finem mundi sub septimo millenario comprehenditur cuius terminum solus deus novit. Nos igitur etiam in VII mundi etate ab hoc exilio in spe eterne retributionis reddita innocentie stola per baptismum recipimur. Sed consummato tempore nostri exilii utraque stola nos perfecte decorabit. Hinc est quod nos tempore deviationis et exilii cantica letitie deponimus. Sed tamen in sabbato pasche unum alleluia decantamus quia in spe eterne retributionis gratulamur et stolam innocentie in VI mundi etate per christum recuperantes. Cui etiam tractus subiungitur per quem significatur labor quo ad hoc in impletione mandatorum dei habere debemus. In sabbato autem post pascha in quo videlicet terminatur LXX duo alleluia cantamus quia completo huius mundi termino duplici stola consequimur. Tertia ratio est propter representationem quia LXX representat. Representat enim LXX annos quibus filii israel sub captivitate babylonica fuerunt et quia ad modum illi deposuerunt organa sua dicentes. Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena. Sic et nos cantica laudis deponimus. Postea vero data illis licentia redeundi a Cyro LX° anno ceperunt letari. Et nos quasi in sabbato pasche tamquam in LX anno alleluia cantamus representando letitiam. Sed tamen illi in captivitate redierunt et in colligendo sarcinulas multum laboraverunt. Et nos post alleluia tractum statim subiungimus qui laborem significat. Sabbato autem quo LXX terminatur duo alleluia cantamus eorum plenam letitiam per quam pervenerunt ad patriam figurantes. Hoc etiam tempus captivitatis et exilii filiorum israel representat tempus nostre peregrinationis quia sicut ipsi LX° anno liberati. Et nos in VI mundi etate. Et sicut adhuc in colligendo sarcinulas laboraverunt sic et nos liberati in completione mandatorum laboramus. Sed cum ad patriam pervenerimus tunc labor omnis cessabit et gloria perfecta et duplex alleluia in corpore et anima cantabimus. Sub hoc igitur tempore exilii ecclesia multis tribulationibus et angustiis pressa fere in baratro desperationis posita ab alto trahens suspiria clamat in officio et dicit. Circumdederunt me gemitus mortis et cetera. Et est multiplex sua tribulatio quia hic est et per m

sia gesta. et pro duplici pena inflicta. et
paupertate quam ad aliquos commissa. Sed nunc ne
desperet proponit ei iam. et triplex triplex
salubre remedium. et triplex premium. Re-
medium est ut si ab illis uult preterire li-
berari. in uinea aut sue ablacionis uia
a et peccati laboret. Preterea in stadio presen-
tis uite currat per presentis operi. De uitis
uiriliter in agone contra omnia diuina
certamina. .... Et si hoc fece-
rit triplex premium habebit quia laboranti da-
bitur denarius. currenti brauium. et pugnanti
corona. Quia lxx. signat tempus nostre
captiuitatis proposuit nobis remedium
per quod a captiuitate possumus liberari. scilicet
per cursum fugiendo. per pugnam preliando.
per denarium redimendo. De sexagesima

Sexagesima inchoatur ad missam in
qua cantatur. Exurge quare obdormis. et
terminatur in feria iiii. post pascha. Et
nota quod instituta est propter redemptionem.
propter significationem. et propter representatio-
nem. Quam melchiades papa et siluester
statuerunt ut bis in omni sabbato comme-
derent ne propter abstinentiam quam homines
sustinuerunt. in vi. feria in qua omni tempore
ieiunandum est natura debilitaretur. In redemp-
tionem quam sabbatorum illius temporis una
septimana additur xl. et lx. uoca-
tur. Alia uero est propter significatio-
nem quia lx. significat tempus uiduitatis
ecclesie. et merorem illius per absentia spon-
si. Quia fructus lx. debetur uiduis.
In consolatione autem illius per absentiam spon-
si qui ad celum raptus est. dantur ecclesie
due ale. scilicet opera vi. misericordie exercitatio.
et decalogi impletio. Unde lx. sonat
sexies. x. ut per vi. intelligantur vi.
opera misericordie. et per x. intelligatur decalo-
gus. Tercia uero est propter representationem

sia. lx. non solum tempus uiduitatis signat. hec
misterium nostre redemptionis representat. Nam
per x. intelligitur homo qui est decima dragma. ad quam
formatus sit ut ruinam nouem ordinum angelorum
reparet. Uel intellige per x. eo quod constat ex iiii.
humoribus quantum ad corpus. et habet tres potencias
in anima. scilicet memoriam. intelligentiam. et uolun-
tatem. quas habet quod ut seruaret bis ternarium
tantum ut ipsum fideliter credamus. ipsum fir-
miter diligamus. et semper in memoria teneamus.
Per vi. intelliguntur vi. misteria per
que homo. x. est redemptus. que sunt incarnatio.
natiuitas. passio. descensus ad inferos. Re-
surrectio et in celum gloriosa ascensio. et perdu-
rant hec lx. usque ad iiii. feriam post pascha
in qua cantatur. Uenite benedicti patris
mei. Quia illi qui in operibus misericordie se exer-
cent audient. Uenite benedicti. ut ip-
se xpistus testatur. Ubi sponsa ianua aperi-
tur et amplexu sponsi fruetur. In epistola
admonetur ut instat. Pauli tribula-
tione de absentia sponsi pacienter
tolleret. In euangelio. Ut in seminationi bo-
norum operum insistat. et que quasi de-
sperans clamauit. Circumdederunt me
et cetera. Nunc quoque ad se rediens petit in
officio in tribulationibus adiuuari et
ab ipsis eripi dicens. Exurge quare ob-
dormis. ibi tempus exurge. Quidam enim
sunt mortui qui aduersis premuntur sed non defici-
unt. Quidam sunt qui nec premuntur nec defi-
ciunt. Tamen quia aduersa non tolerant. peri-
culum est ne per ipsa eos frangant. Clamat
ergo ecclesia ut christus exurgat quantum ad pri-
mos ipsos confortando. qui dormire uide-
atur ipsos non eripiendo. Clamat ut
exurgat quantum ad secundos ipsos conuerten-
do. a quibus uidetur faciem auertisse. ipsos
quod diu repellendo. Clamat ut exur-
gat quantum ad tercios ipsos in prosperis ad